

MELCHIOR EPISCOPVS BASILIENSIS.



Melchior natus est ex nobili familia Liechtenfelsiorum in Constantiensi dioœsi, anno Christi millesimo quingentesimo & decimo septimo. patrem habuit uirum clarissimum Iohannem à Liechtenfels, atq; matrem Ursulam Pfeüuin de Riepur. Is cum fœlici ingenio esset præd tus, parentum consilio operam literis dedit, atq; Friburgi Brisgaudiæ prima literarum fundamenta iecit. Postea quoq; in eadem Academia bonis artibus atq; linguis diligentem operam nauauit. Inde sese Tholam Burgundionum contulit, & animum omni genere literarum excoluit. Cum hoc modo pietate & doctrina innotesceret, à Collegio Basiliensi cathedrali inter Canonicos receptus fuit. Ibi ea animi moderatione uixit, ut post Philippi à Gundelsheim optimi Episcopi Basiliensis obitum, anno 1522 in Episcopatu uicetenens constitueretur. In ea uocatione cum per biennium magna prudentia in Brunnentraudt arce Episcopali perseuerasset, tandem anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto omnium Canonorum suffragijs, & summa gratulatione subditorum Episcopus electus & confirmatus fuit.